



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 85. Norsolciæ Dux Reginæ jussu comprehensus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](#)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1571.

§. LXXXV.

*Norfolkia Dux Reginæ jussu comprehensus.*

Pariter Elisabetha Norfolkiae Ducem, qui Mariam Stuartam ducere moliebatur, comprehendendi, atque in carcerem conjici jussit: cum ergo Dux se vinculis onussum cerneret, palam professus est, quod hujus connubii propositum a se conceptum abominaretur, insuper se Elisabethæ fidem servaturum, ejusque studia totis viribus procuratum spopondit. Hac promissione facta, Regina ipsum libertati restituit, quam tamen haud diu potiebatur, nam contra promissi fidem a Rudolpho Pontificis Procuratore sollicitatus denuo clandestina moliebatur consilia (\*) quapropter hac perfidia sibi meti ipsi exitum acersebat, ac rursus carceri mancipatus

ad

(\*) Hæc nimia temeritate Continuator in odium Pontificis configere non erubuit, cum tamen ipsem Thuanus semper Pontificibus infestus ingenue ad annum 1572. mihi fol. 1027. Offenbacens. edit. an. 1609. fateatur, quod ad extremum supplicium abstractus, cetera crimina, quod Regnum Reginæ eriperit, eique periculum creare conatus sit, eaque de re cum Rudolpho egerit, inficiatus sit.

ad Londinensem turrim captivus abstra- Sæcul. XVI.  
hebatur. A.C. 1571.

§. LXXXVI.

*Continuata vexatio in Mariam  
Stuartam.*

Penes Norfolciæ Ducem prolixæ re-  
periebantur literæ septima Februa-  
rii die arcana notis scriptæ, in quibus  
Scotiæ Regina eidem, ut potius in Hi-  
spaniam, quam in Gallias secederet,  
author exstithit, pollicita, quod tunc, si  
libertati redditæ ipsamet quoque eo con-  
tendere posset, se Joanni Austriaco  
nupturam simulare vellet, ut hac ra-  
tione eo tutius amicitiam, qua ipsum  
Ducem honoraret, tegere valeret: in-  
super eundem Norfolcium rogabat, ut  
Rodolphum Romam ablegaret, eumque  
de mutuo utriusque statu, atque am-  
borum calamitatibus plene instrueret.  
His indiciis suffulti Judices Ducem quæ-  
stioni subjiciebant, qui cuncta etiam  
fatebatur, pernegans tamen hoc scri-  
ptum, quod a se combustum fuisse cre-  
debat, atque a suo Secretorum Mini-  
stro traditum ignorabat. Postea uni-  
verso Duci Palatio perlustrato arcana  
notæ clavis, qua Regina Scotiæ, &  
Dux utebantur, fuit reperta, atque  
complicum nonnulli, qui capiebantur,  
cuncta ipsis nota haud reluctanter fassi

*Hist. Eccles. Tom. XLVIII. Tt sunt:*